

non pervideant; sed quod magna illa confidentia singulares electiones prædicendi perridicula sit, & eventis ipsis refellatur. Profecto ubi cetera desint manifesta fraudis argumenta, at illud non leve certe est, quod scite Ennius protulit,

Qui aliis monstrant viam, sibi semitas ignorant.

Referendæ essent in tabellas circulatorum hujusmodi prædictiones, ut quæ mentiantur, quæ certa pronunciant, dimetiri quisque posset. At nunc apud popellum, ut solet, plus potest vera una opere completa prædictio, quam myriades mendaciorum. Inde alienorum bonorum insidiatoribus & captatoribus præsentia & temeritas. Nec deterrentur, quum deteguntur: se quilibet animat Tiresiæ Horatiani verbis (a),

neu si vaser unus, & alter

Insidiatorem præroso sugerit hamo,

Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.

Persta atque obdura, seu rubra canicula findet.

Infantes statuas, seu pingui tentus omafo

Furius hybernas cana nive conspuet alpes.

In quo isti egregie divinant perraro hæc alea fallit. Sed tam docte & accurate est ea res a Cicero-
ne (b) pertractata, ut orationem nostram non exigat.

C A P. V.

*De animi propensionibus, deque irritationibus
naturæ humanæ.*

Prop. XLIV. **P**ropensiones ad bonum, & verum generatim naturales sunt animo humano, legesque mechanicæ naturæ nostræ, quibus illa ad consentaneos sibi fines fertur.

D. Quæ propensiones & in omnibus reperiuntur hominibus, & in omni hominum ætate, quæque neque intenduntur unquam, neque remittuntur, eæ profecto haberi debent pro naturalibus totius generis humani pro-

(a) Horat. lib. 2. satyra 5.

(b) In libris de divinat. Adde Picum adversus astrologos.

propensionibus; quomodo quæ qualitates & insunt in omnibus corporibus, quæ observari potuere, & neque remittuntur, neque intenduntur, qualitates habentur naturales omnium corporum (a): ejus autem generis sunt propensiones erga bonum & verum generatim. Nam prima adeo est omnium hominum, omniumque ætatum, ut communis sit etiam brutarum animantium; ut dubitari non possit, quin naturalis sit & insita nature animali. Altera vero tam est mentium humanarum naturalis & communis, quam curiositas, quæ nihil aliud est, nisi propensio ad verum. Ex quo manifeste sequitur, esse illas naturæ animorum leges mechanicas. Nimirum non alia est philosophis lex nature mechanica, nisi ea naturæ constitutio, cujus, ut inquit Wolfius, in sola Dei voluntate sit ratio sufficiens, quales sunt vires attractrix, gravitationis planetarum, aliæque in inanibus rebus. Quum ergo propensiones illæ sint naturales animis humanis; naturalium vero causa Deus; leges animorum mechanicæ sunt habendæ. Quod vero quidam ajunt, ex usu rerum eas nasci propensiones, si non advertunt, usum esse non posse sine illis naturæ constitutionibus, adeoque usum omnem ab illis præverti: nisi enim ita creati formatique essent animi humani, ut appetere bona possent, & vera velle scire, ac bono & vero delectari, nec sequerentur ea unquam, nec curarent.

Ceterum non sine magna supremi numinis providentia id fieri intelligendum est, ut homo non sola ratione (per se ipsa sine ullo affectu frigida) ac libertate ad suum finem, eique adaptata media ducatur, sed vi etiam ipsius naturæ ac irritatione quadam impellatur: ut scilicet ubi ratione & libertate sit facile abuti, non possit non iis naturæ legibus obsequi, quibus irritatur, quæque, ut ille ait, urunt, ac excoquant sub pectore. Qua ex re illud etiam intelligitur, qua ratione fiat, ut hominum mores, atque humanæ res, quæ in quibusdam hominum coetibus videntur sæpe a naturæ proprietatibus tam longe discessisse, recur-

(a) Lex est New. probata ceteris.

rant, circulumque quemdam perficiant. Quod nempe, quemadmodum elateres vi compressi a naturali sua figura inflectuntur, quam induunt statim atque vis concesserit; ita distrahi vi, aut ratione & disciplina naturalia possunt, huc illuc flecti, convelli funditus nequeunt: itaque cedunt tantisper mox reditura. Inteligitur & illud, cur quum ceteræ peculiare propensiones, aut adversationes neque eadem in omnibus sint, & ætatibus, temporibusque aliæ atque aliæ: naturales vero illæ sint immutabiles: nam *naturalia*, ut inquit, sunt *immutabilia*. Illæ nempe naturæ constitutione constant: hæc inflexione. Atque hæc quum sint, perfecte Aristoteles vir in primis acutus & accuratus *scientiæ* quidem *moralis*, qua formatur homo ad beatitudinem, initium fecit ab hoc beatitudinis, idest summi boni naturali desiderio: *metaphysica* vero, idest *universalis scientiæ*, ab ingenito desiderio veri. Quod nempe ut natura omnes cupiunt esse beati, ducendique sint ad veram beatitudinem *recta* directione & conformatione ingenitæ illius propensionis: ita natura ipsa omnes scire cupiunt, pertrahendique sunt ad veram sapientiam accurata & industria curiositatis propagatione ad utilia & egregia. Nec aliter ego censeo systemata moralia, & theoreticæ sapientiæ diducenda & contenda, quam moderatione, quoad fieri potest, naturaliori & simpliciori duarum illarum naturæ humanæ propensionum. Quomodo naturali fluminis impetu, paulo in rem suam flexo cursu, sata industrius agriculator irrigat. Quæ qui observant attentè, ii profecto animadvertunt, in plurimis emendari posse præsentia disciplinarum systemata, ut sint magis naturæ humanæ consentanea. Nam naturam non cohærente disciplina velle perficere quid est aliud, quam evertere? Nemo in eo diu stare potest, quod cum natura pugnat; quod philosophi omnes intellexerunt, qui docuerunt, *nullum violentum durable*: sed ab ea ratione longe sæpe aberrarunt, dum eo homines abstracta philosophia pertrahere studuerunt, quo nec trahi potest, nec stare, si trahatur.

Sed ecce, ajunt, hanc propositionem natura ipsa & hu-

humani generis experientia refelli. I. Primus humanæ naturæ sensus dolor est: eo infantes incitari occipiunt; primum igitur bonum, quod natura nostra sequitur, est carere dolore. *Bonum* istud *genericum* intelligentia suppeditat, non naturæ sensus. II. Homines non prius curiositate perciuntur, quam bonum aliquod, aut malum perpeffi sunt: itaque ii minus curiosi sunt, qui minus vixere, ut infantes, agrestes homines; qui nihil ferme aliud scire avent, quam ne quid noceat, aut præsentibus voluptatibus adversetur. Quibus binis verbis respondebo. Eam naturæ constitutionem, qua seu a rebus, seu ab animi notionibus dolori aut voluptati sumus subjecti, naturalis est; eaque ab omni abhorret dolore, cum omni voluptate bene se habet. Id ego voco naturæ propensionem in ipsum bonum, quodcumque scilicet id sit, quod voluptatem creat. Sed & ita naturæ formati sumus, ut dolorum & voluptatum causas scire tam appetimus, quam dolorem oderimus. Hoc veri appetitum appello. Quum hujusmodi naturæ constitutiones omnem rationis usum præveniant, leges mechanicas dico.

Prop. XLV. Propensio se conservandi, tum veneris stimulus generatim, propensiones sunt & ipsæ naturales, atque duæ alteræ animorum humanorum mechanicæ leges.

D. Nam æque & in omnibus sunt naturæ constitutione, & immutabiles sunt, & ante omnem usum, quum ex iis potius omnis usus proficiscatur.

Scholion. Ita quatuor habemus præcipuas humanæ naturæ mechanicas leges, quibus homines vel imprudentes ad se suumque genus conservandum, atque perficiendum ferantur. Quanta autem earum sit in vita humana necessitas & utilitas, inde intelligere possumus, quod earum nulla sit, qua sublata, non tota hominum vita funditus perturbetur. Nam sublata propensione in ipsum bonum, efficitur, ut ne quærat quidem quidpiam boni: quumque homines non sint entia sibi *sufficientissima*; consequitur, ut sint semper misera. Tum propensio in bonum inutilis esset, aut nullo modo esse posset sine propensione in verum: hac enim bona

perquiruntur, quibus illa fruitur. Deinde amor nostri ipsorum nisi esset naturalis & necessarius, quum infinita sint vitæ perdendæ rationes, brevi hominibus deferta esset tellus. Tandem veneris stimulo extirpato a natura animali non ultra hominis ætatem habitaretur tellus. Quæ si Athei cogitent, non possunt non clare intelligere, quanta divinæ alicujus mentis cura natura humana sit conformata, ut nihil in illa sit naturale, quod non hominis fini apte respondeat. Non igitur theologia tantum physica, sed ipsa in primis metaphysica, supremæ divinitatis cura omnia in universo geri perspicue demonstrat. Jam (ut ad institutum redeamus) attente philosophus has leges recollere debet, qui operationum humanarum principia determinantia, fundamenta, primas quasdam in humana natura causas (*ressorts* Galli vocant) sit accurate explicaturus (a) : quandoquidem nihil demonstratu facilius

(a) Sed & iis in primis hujusmodi rerum cognitio necessaria est, qui ad res humanas gubernandas accedunt. Nam adversante natura imperium nec stabile esse potest, nec pacatum: hominesque, quorum est ingenium elasticum, perpetuo aut resiliere, aut irrumperere conantes, maxima vi & molesta sunt cohibendi, quæ si tantisper remittat, eisdem uti liberi elateres, perfrumpunt atque evertunt omnia. Ita id potius danda est opera, ut primigenias illas propensiones, quibus homines duci & amant & volunt, sic in publicam rem spectant, ut omnes intelligant, se ire, non vrabi, rem suam ac utilitatem agi, subdi omnes legi, ut liberi sint, vim nemini inferri. Pueros ego, in quibus natura adhuc integra est & sola, expertus sum pluries, invitos ac coactos, fere nihil, ludentes & blanditiis captos ea efficere, quæ supra vires eorum videri potuissent. Adeo ingenium nobis coactionis impatiens natura dedit!

Habent autem prima illa dua propensiones in bonum, & in verum magnum illud inter se disformen, ut prior vi languescat, altera intendatur. Artes humane vitæ necessarias extirpaverit quisquis homines invitos ad eas adegerit; si sua cuique libertas relinquatur, nec rogatur, sed regatur tamen, si earum magnæ utilitates ob oculos ponantur, tum alacres omnes incumbunt, ac nihil est tam incredibile, quod non efficiant. Efficiunt idem si a naturæ suæ necessitatibus impellantur: voluptatem nempe suam & ingenium sequitur quisque alacer; natura paret libenter, idem qui impervis vi in rebus aliis fastidiosus est. Inde fit ut gloriæ amor, voluptas, luxus plures artes, aut artium ornamenta inven-

lius est, quam omnes humanas actiones provenire ex varia modificatione quatuor illarum legum naturalium: scilicet modificatæ illæ ratione, & conversatione, in peculiare evadunt inclinationes, aut declinationes, quibus, ut in superiori appendice demonstratum est, homines regi solent. Neque tamen concludi quidquam ex ea re potest adversus utilitatem aut necessitatem legum naturæ moralium; constat enim sua illis necessitas, & utilitas in eo, quod peculiare inclinationes, atque hinc proficiscentes actiones emendant & formant, emendata, & formata ratione, cujus illæ velut supplementum sunt; tum sanctione pœnali plurimum & ipsæ voluntatem permovent.

Prop. XLVI. Præcipuæ partes corporis, idest ejus animæ instrumenti, quo illa, dum hic vivimus, perpetuo utitur, irritabilitate mechanica præditæ sunt.

D. Irritabilitas mechanica est ea vis, qua quædam cor-

R 2

ærint, quam leges omnes, aut mina. Contra autem propensio in verum vi ac minis, tum quacumque re, quæ violentiæ sit persimilis, velut arcanis atque enigmatibus, mirum in modum intenditur: curiositas prima est, quæ hæc sequitur; & cerebri fibra irritantur; inde vis major; quæ quoniam nos angit, & infelicitat usque dum rem ipsi digito non contigerimus, in veritatem impellit. Opinor si quis severa sanctione prohibuerit inquiri ab hominibus in magnetica attractionis causam, brevi eam detectum iri. Sunt qui scribere, philosophos præmio excitandos: nec nego posse plurimum in animis nostris præmii spem. Sed voluptatis ea est natura, ut facillime quis possit illam repudiare & dolori & inquietudini nemo unus concesserit. Ita fit, ut acrius hinc exagitemur, quam a voluptate permoveamur. Ac vero vim hominis actuosam vehementius inquietudo vellicat & excitat, lenius voluptas. Est igitur ad hanc rem quod pertinet curiosum hominis ingenium flamma persimile, quæ quo violentius comprimitur, eo vehementius ac voracior evadit. Atque hæc quum per se sunt perspicua, tum tota historia literaria confirmantur; nulli enim errores quantumvis monstri tam publice grassati unquam sunt, quam qui severius veriti, ut si blande ac palam expositi omnium fuissent oculis, brevi vituissent ac fuissent irrisi. Itaque probo ego illos, qui docuere, Ridiculum acri plerumque fortius ac melius fecat rem. Nam iidem homines, qui tam curiose in occulta & verita nituntur, nihil tamen magis verentur, quam ne publico rideantur, efficitque publica irrisio, quod nulla vis, ut vires naturæ humane omnes quasi dissipet, & alio convertat.

corporis animalis partes perstrictæ quasi oscillant (def. 16.): ea autem vi præditos esse nervos, arterias, fibras musculares, ac ejusdem generis partes alias, perpetua docent experimenta.

Prop. XLVII. Hæc irritabilitas mechanica est instrumentum omnis sensationis quum externæ, tum internæ.

D. Nam eadem experimenta docent, nullam nec in brutis, nec in hominibus excitari sensationem, nisi irritatis nervis, aut iis corporis partibus, quæ sunt irritabiles. Visio, auditio, olfactus, gustus irritatione nervorum oculorum, aurium, narium, linguæ & œsophagi perficiuntur; qui nervi si obstruantur, aut debilitentur, aut diffuant, eæ sensationes aut omnino cessant, aut plurimum debilitantur. Idem fit in tactu: nam aut nervi resoluti, aut obstructa cute, omnis tactus sensatio perit. Superioribus annis in hoc nostro Nosocomio vidimus feminam, cujus tota cutis quasi marmore evaserat, ac omnis omnino sensationis erat experta (a). Sed ne ulla quidem interna sensatio nisi ab ea est irritatione cordis, diaphragmatis, membranarum pectoris, cerebri, ossium, musculorum, nervorum, arteriarumque, &c. nam his irritatis statim illa existit: quum iis partibus, quæ irritabiles non sunt, exustis, laceratis, spiritu vitrioli percitis, tam sentiamus, quam qui nihil.

Corollar. Irritatio ergo animalis (def. 17.) a mechanica est.

Scholion. Videtur huic corollario id adversari, quod quædam animales irritationes, seu voluptatis aut doloris sensus, iræ, amoris, timoris, &c. ab ideis sint: sunt enim quædam cogitationes, quæ nos vehemente affectu concutiunt, quin ulla aut externa causa corpus perstringat, aut interna irriter. Sed hoc ipsum satis aperte ostendit, irritationem illam animale non sentiri, nisi mechanica præcedat. Videlicet iis cogitationibus fit, ut primum mechanica in cerebro & corde

(a) Vide ut eam rem descripsit Carolus Curcius medicæ rei diligentiſſimus professor.

excitetur irritatio; quam mox sequatur totus ille affectuum sensus. Non ergo affectus mechanicæ irritationis causa est, sed hæc illius, quanquam individuus ille hanc comitatur. Id experimenta quoque demonstrant. Nam quum constet inter omnes cerebrum esse organum memoriæ & cogitationum; eo læso, parte præcipue superiori, quam proprie *cerebrum* vocant, ut a *cerebello* distinguant, & memoria, & omnis pene cogitatio evanescit, ut stupidi evadamus. Id & paralyſis ostendit, & pressio ejus cerebri partis cutanea, & abscissio, & serosa quædam fluida, quæ copiosius per illam sæpe diffuunt, & somnus, quæ quasi brevis paralyſis est. Ergo ideæ hanc primam cerebri partem iritant, ex qua & cordis existit irritatio: nam cerebrum, ut ostendit Ruyschius, quasi cordis propago est: constat enim infinita pene ramusculorum, arteriarum, carotidum, & vertebraliū compagine: arteriæ vero ab aorta propagantur omnes: & hæc fibrarum cordis, primi scilicet corporis animalis muscoli, propagatio est. Quum a cerebro primam nervi originem ducant; inde quoque fit, ut ideis illo concusso, tota nerveologia irriteretur, quod & magni tremores, & lætitiæ gestientes, & vehemens iræ furor ipsa per se manifestant. Hoc igitur fœdere est humana mens juncta corpori, ut nihil, dum ei adest, nec agere possit, nec pati, nisi eo veluti instrumento utens. Ac vero nisi ita futurum fuisset, quid attinebat tam molestum ei comitem præbere?

Prop. XLVIII. Irritatio animalis est proportionalis irritabilitati mechanicæ.

D. Id & ratio demonstrat, & experimenta. Principio animalis irritatio est a mechanica (coroll. prop. ant.), intensitas vero effectus est in ratione intensitatis causæ. Deinde id acu experiri possumus, qua cutem pungamus: sensus enim doloris magnitudinem & durationem irritationis mechanicæ sequitur. Idem bonorum aut malorum ideæ, idest ideæ irritantes demonstrant: nam inde erumpentes affectus magis aut minus sunt validi, prout magis aut minus idearum illarum fuerit meditatio, & vis, ex qua major aut minor existit

sistit in cerebro mechanica irritatio.

Scholion. Constat ex historia naturali, hominum temperamenta infinitam pene inter se varietatem habere. Hanc varietatem quum aliæ causæ plures, tum climata efficiunt. Septemtrionales homines tardi sunt & lenti cum corpore, tum ingenio. Id fit quod mechanica in iis irritabilitas difficilior sit; unde propter duarum substantiarum harmoniam, difficilior animalis. Meridionales contra, quorum corporum nervi, fibræque minus sunt humidis ac glutinosis partibus involutæ, ingenio sunt prompti, magisque affectibus obnoxii: delicatiores igitur in iis sunt irritabiles partes, facilliusque oscillant. Ægyptios, Arabes, Persas, Indos, Sineses & ingenio plurimum præpollere, & artium, quibus nunc Europa luxuriat, primos fuisse auctores, & omnium esse hominum astutissimos, & versipelles: suspiciosos, magnos amatores, zelotypos, iracundos, vetus atque recens historia docet: quum contraria omnia in Tartaris, Svecis, ceterisque frigidis populis videre liceat. Medii sumus inter eos Itali, Græci, Hispani, meridionales Galli: ergo æquabiliore ingenio, pacatioribusque affectibus pollemus. Sed & illud physica docet, ea animantia, in quibus cor minus est, quam corporis moles poscit; irritabiliora esse & ferociora. Nam ab irritatione cordis existunt affectus; minusque cor vehementiori irritationi obnoxium est, quam præquam oportet majus.

Prop. XLIX. Nulla in nobis propensio actu excitatur, ut sibi prospiciat homo, nisi irritatione mechanica.

D. Hujusmodi propensiones tum excitari dicuntur, quum in id nos bonum incitant, quod spectant: nec vero in bonum aut verum nos impellunt, nisi quum conscii sumus, illa nobis deesse. Sed sensationes, vel idæ (nam utrimque agitatur) quibus conscii sumus bonum aliquod nobis necessarium deesse, sunt sensationes & idæ irritantes, irritationemque animalem continent; ergo irritatione animali, appetitu, putæ, metu, ira, amore, spe propensiones excitantur, atque moventur. At nulla est animalis irritatio nisi a me-

chanica (coroll. prop. 47.); ab irritatione igitur mechanica propensiones illæ naturæ excitantur, quibus fit, ut nobis libere prospiciamus.

Scholion. Id tota confirmat vita humana. Nam primum qui nullo modo nec persentiscunt, nec animadvertunt quidquam sibi deesse, aut aliquid sibi imminere periculi, nec amore ullo, nec timore incitantur. Quin si quisquam sit, qui nec naturam ulla interna aut externa causa premi sentiat, nec quidquam animo concipiat, quo melius esse posse putet, is non magis movetur, quam rupes. Tum sæpe fit, ut magna bona aut mala nos circumstant; quæ quoniam aut mentis quadam stupiditate, aut animi distractione non animadvertimus, nullo nos affectu concitant. Animantia igitur & homines primum interna irritatio ad passum, & potum incitat impellitque. Eadem efficit, ut situm eum corpori seligant, quo bene sint. Deinde notiones per organa sensuum ad animam meantes movent quid aut sequendum sit, aut fugiendum; quod nempe ex in cerebro, corde, artubus molestam procreant irritationem. Quum homines supra bruta ratione sint præditi, qua antecedentia cum præsentibus conferunt, futura prospiciunt, & ad vitæ usum referunt: qua possibilia sibi consingunt; inde fit, ut majores, frequentiores, aut magis variæ sint in nobis animi affectiones, quam in brutis. Inde quoque est, ut omnium animantium nihil sit nobis tam formidolosum, quam homo, ac ii præcipue, qui magis ratione & ingenio valent. Quod omnes nationes agnoverunt, quæ nullum animal tot ingenii corporisque vinculis, nullum severiori disciplina coercendum esse existimaverunt. Quominus ii sunt ferendi, qui nescio cujus stultæ ingenuitatis amore iis homines vinculis exsolvere student, sine quibus non solum boni esse nequeunt, sed ne esse quidem.

C A P. VI.

De habitibus, ubi de memoria.

Prop. L. **O**Mnes habitus, dum corpori unitur anima, sunt faciliores irritabilitates naturæ humanæ, ac flexibilitates, quæ exercitatione acquiruntur & intenduntur, desuetudine remittuntur, aut delentur: delentur etiam, aut obtunduntur contrariis habitibus.

D. Habitibus sunt facultates agendi, aut patiendi (def. 15.); nihil autem facile agimus, aut patimur nisi facili naturæ irritatione ac flexibilitate (ex demonstratis in superiori capite); nec ea facilitas acquiritur aut amittitur, nisi exercitatione, aut desuetudine, ut experimenta demonstrant; ergo habitus exercitatione acquiruntur, desuetudine amittuntur. Jam vero facilitas agendi aut patiendi directionem ac terminam habet, in quem tendit, aut a quo removetur: ergo contraria facilitate seu habitu vel debilitatur, vel perimitur.

Scholion. Et quidem tum de habitibus mentis seu theoreticarum disciplinarum, seu naturalium virtutum, tum de mechanicis corporis juxta id affirmo, observationes enim perpetuæ super utrisque abunde id demonstrant. Nec ullus habitus in medium proferri potest, in quo id non obtineat. Quanquam quoniam morales virtutes & a naturæ temperie plurimum quoque pendeant, minus vero theoretici disciplinarum habitus, aut habitus artium; facilius isti, quam illæ desuetudine amittuntur. Jam facilitatem irritationis, ac flexibilitatem, quæ a natura est, propensionem constituit: quæ ab exercitio, habitum. Cave autem ne vires cum habitibus misceas: illæ sunt solius animi: hæ totius naturæ.

Propositio LI. Habituum igitur nullus est nobis congenitus. Nempe habitus omnes intenduntur & remittuntur, exercitatione acquiruntur, desuetudine delentur (prop. sup.); quæ autem talia sunt, naturalia & ingenita nobis esse nequeunt. Vide ut eam rem

præ-

præclare Aristoteles sub initium Ethicorum Nicomachiorum persequitur.

Prop. LII. Omnes habitus animi simul & corporis vi exercentur, sed præcipua eorum sedes in rationalibus est animus, in mechanicis corpus.

D. Habitibus sunt facultates actuum exercitatione acquisite (def. 15.); in iis ergo subjectis exercentur, quorum actuum exercitatione acquiruntur; acquiruntur exercitatione actuum mentis simul & corporis; quandoquidem nullæ esse possunt actiones animi, quibus totidem non respondeant in corpore; in utroque igitur sunt, seu potius in eo homine, qui ex unione mentis & corporis existit. Sed quum mechanici irritabilitate instrumenti præcipue consistant; potissima eorum sedes corpus est.

Scholion. Inde intelligitur, cur habitus, qui animi dicuntur, aut debilitentur, aut evanescant omnino, fracto morbis aut ætate corpore: & item cur qui habitus dici solent corporis, torpescant paulatim, animo ab iis abducto, aliisque rebus intento. Ceterum in perspicuis est, esse habitus quosdam, qui mente magis exercentur, quam corpore; alios, qui e contrario magis corpore quam mente; esseque alios vitæ sensitivæ, qui ab habitibus mentis theoreticis discernuntur manifesto. Ex. gr. habitus scientiarum theoreticarum mente plus, corpore minus constant: habitus artium mechanicarum corpore magis, quam mente: habitus virtutum moralium voluntate & temperamento magis, quam ratione. Quod dico, non quod totidem habituum subjecta sint distinguenda, in quo laborarunt Scholastici, sed ut quid potissimum in singulis habitibus dominetur, indicem. Habitibus autem dico, non vires.

Prop. LIII. Quæ actiones aut majori animi attentione exercentur, aut intensiori aliquo affectu, aut voluptate & dolore, eæ irritationem in nobis faciunt altiore, & diuturniore. Exploratum est ratione & experientia. Itaque qui habitus actionibus ejusmodi acquiruntur, & facilius acquiruntur, & sunt diuturniores. Non secus atque vestigia, quæ majori vi in tenellis plantis imprimuntur, & altiora sunt, & diuturniora.

Prop.

Prop. LIV. Habitus humani quo plures fuerint, eo debiliores evadunt. Appello ad experimenta. Sed ejus rei ratio in vi naturæ humanæ finita continetur. Scilicet habitus conservari nequeunt sine vi exercente: quo minor hæc vis evadit, eo minus facultatem habituum exercitio possumus conservare. At ea decrefcit divisa: ergo in plures habitus distracta, minor ejus pars singulis inhæret; ex quo fit ut debiliores evadant. Qua ex re moniti esse debent, qui egregii & excellentes in facultate aliqua esse cupiunt, ut ne pluribus animum intendant: nullo enim modo finita naturæ nostræ vis omnibus esse par potest. Et quemadmodum si eidem solo plura, quam ferre possit, semina commiseris, detrahes omnibus alimentum; ita pluribus intentus animus mediocris quidem esse in illis potest, summus non potest.

Coroll. Eadem est ratio, cur habitus contrariis evenitur, & paulatim evanescant.

Prop. LV. Memoria ab irritabilitate cerebri est, cujus idcirco præcipua sedes est in cerebro, eaque habitu perficitur.

D. Utrumque demonstrant phænomena. Primum cerebra parum irritabilia omni ferme carent memoria. Deinde magna cerebra ceteris paribus capaci ac firmiori memoria sunt prædita. Tum in hominibus cerebri proportionem majus, quam in ceteris animantibus: hinc omnium animantium capacissima hominum memoria. Præterea in ipsis animantibus ea capaciorem sunt memoriæ, quorum majus cerebrum. In avibus exiguum cerebrum, & minima memoria: majus in quadrupedibus, ac capaciorem memoria.

Sed & habitu perfici memoriæ eadem ostendunt phænomena. 1. nullius rei memoria ingenita est. 2. exercitatione acquiritur: eaque tenacius memoriæ hærent, quæ pluries, & frequentius animo recurrant. 3. & quidem iis actionibus, quæ aut majori attentione, aut cum voluptate & dolore, aut cum affectibus paulo vehementioribus sunt, facilius, & est diuturnior. 4. desuetudine debilitatur, & evanescit. 5. rerum numero & varietate laborat, & hebescit. 6. iis omnibus,

bus, quibus vis humanæ naturæ corroboratur, aut frangitur, & memoria corroboratur, aut debilitatur, velut aëre, cibis, medicamentis; tum senectâ, morbis, &c. 7. minus fatigata & post parva oria major. Quæ omnia ita sunt habituum propria, ut perspicuum sit memoriæ, esse habitum (a), cujus præcipua sedes sit in irritabilitate cerebri.

Scholion. Quod spectat ad memoriæ, suere, qui putarunt, eam considerari debere velut idearum penu: eas ideas dixere vestigia in cerebro ab objectis externis facta: itaque in cerebro hoc penu posuere. Propterea eam in rem Cartesii auctoritatem. Sed nec ea doctrina intelligi ullo modo potest, & a Cartesii mente longe aberrat. Nam nec ullo modo intelligi potest vestigia in cerebro ab objectis externis facta haberi posse pro eorum objectorum imaginibus; nec, si id tantisper detur, sibi quisquam persuadere, tot rerum myriades posse distincte in cerebro, parva illa & molli materia, habere vestigia. Cartesius vero vestigiorum quidem vocabulo utitur, sed nihil aliud eo intelligit, nisi facilitatem cerebri, seu habitum actionibus repetitis acquisitum. Nam illa vestigia, inquit, nihil aliud sunt, quam quod pori cerebri, per quos spiritus antea ceperunt suum cursum, acquisiverint eo pacto FACILITATEM majorem, quam alii, sese rursus aperiendi eodem modo spiritibus, qui ad se veniunt (b), quo pacto ille reminiscenciam explicat. Eodem modo Malebranchius memoriæ explicat, posuitque illam in habitu cerebri, seu in flexibilitate ejus fibrillarum actibus repetitis acquisita (c). Nec alio modo se rem habere suadent phænomena. Scilicet quemadmodum in ceteris habitibus actus ita se excipiunt, ut primo posito quasi natura sua sequantur ceteri, quod in habitibus saltandi, canendi, pulsandi instrumenta musica observatur: ita in memoriæ excitata idea quavis, alia,

(a) Copiosius hæc persequitur Lockius de intellectu humano lib. 2. cap. 2.

(b) De pass. anime par. 1. art. 42.

(c) Lib. 2. de inq. ver. cap. 5. §. 3.

aliæ, quas cum illa didicimus confociare, subinde excitantur, ut altera alteram excipiat expeditius & distinctius, aut minus expedite, minusque distincte, perfectione & intensitate habitus majori aut minori. Ceterum quacumque tandem via reminiscencia in nobis fieri contingat, id certum est, nullam esse in rerum natura rem admiratione nostra digniorem, & ex qua promptius in supremæ Dei sapientiæ & potentiæ contemplationem provehi debeamus, quam memoriam (a).

Prop. LVI. Omnes habitus constant memoria & reminiscencia.

D. Omnes habitus sunt facultates actus continuata & harmonica serie producendi, suntque animi simul & corporis (prop. 52.); ergo in omnibus habitibus conjunctæ sunt irritationibus seu motionibus corporeis totidem animi actiones, perceptiones nempe & voluntates incredibili celeritate percurrentes; quum id sit memoria, omnes habitus memoria constant. Inde est, ut qui exercere habitum aliquem corporeum cepit, si alio mens abstrahatur, perturbatis illum actibus exercere pergit.

Prop. LVII. Facilitas ratiocinandi habitus est, isque varius prout in variis objectis exercitus, etsi vis ipsa ratiocinandi innata sit menti. Nam facultas ratiocinandi exercitatione acquiritur, desuetudine amittitur, habetque ceteras omnes habituum qualitates.

Prop. LVIII. Tota humana eruditio duobus generatim habitibus continetur, qui interea relatione ad objecta velut multiplices & varii spectari solent.

D. Tota eruditio, scientia, sapientia humana continetur numero quodam idearum, idest memoria, & facultate super iis ratiocinandi, idest eas contexendi, antecedentia, consequentia, connexa pervidendi; at & memoria habitus est (prop. 55.), & habitus facultas ratiocinandi (prop. 57.); duobus ergo continetur habitibus.

Scho-

(a) Vide qua ea super re scribit vir doctus & mihi amicissimus Antonius Muscorius sub initium philosophiæ moralis.

Scholion. Hinc fit, ut qui parum memoria valent, ne disciplinis quidem sint apti. Quum memoria in irritabilitate cerebri posita sit, qui cerebro sunt aut exiguo, aut obtuso, aut nimis aquoso, difficili aut labili sunt memoria. Omnia vasa in senescentibus obstrui incipiunt: ergo & cerebrum; inde labilis memoria senum. Paralyti irritabilitas cerebri perimitur; hinc paralytin comitatur stupiditas. Qui capitis dolore vehementer & diu laborant, paullatim obtupescunt; quia is dolor aut pressione membranarum cerebri, aut vaporum turgescencia quadam cerebri impedit irritationem. Gravis ictus capitis, quod M. Mesallæ contigisse narrat Plinius, totam extinguere potest memoriam, atque profligare disciplinas. Antonius de Dura Neapolitanus patricius vir æque & generis nobilitate, & ingenio, & animi candore magnus narrare mihi solebat, se quum in calidum balneum descendisset, omni statim memoria fuisse destitutum, ut illud suo testari exemplo videretur, quod Apollonium Tyanensem aliquando dixisse scribit Philostratus τα βαρναυ γερὰς ἀνδραπῶν, balnea calida esse hominum senectutem (a). Hæc phænomena ostendunt, non animi ullo vitio aut defectu hæc in nobis fieri, sed instrumento. Quomodo qui lippitudine oculorum laborare ocepere, necesse est, ut parum acute videant; visusque omni priventur, quibus optici nervi obstructi sunt, vel extabefacti. Postremo eadem de causa fit, ut non omnes mentis disciplinis nascantur apti, defectu nimirum cerebri, instrumenti memoriæ & scientiarum: ut videantur iniqui quidam & parentes & doctores, qui minus hujus rei memores, idem ab omnibus aut liberis, aut discipulis pensum severe exigunt. Scilicet non omnis fert omnia tellus.

CAP. VII.

(a) Philostrat. de vita Apoll. lib. I. cap. XVI. extr.